

clitatur. Hinc B. noster Lutherus in Colloq. Mensalib. c. 37. Diese zwo Übungen gefallen mir am allerbesten / nemlich die Musica und Ritterspiel mit Fechten / Ringen / unter welchen das Erste die Sorge des Herzens und Melancholische Gedancken vertreibt / das Andere macht seine geschickte Gliedmassen am Leibe / und erhält Ihn bey Gesundheit mit springen. Torneamenta quoque, simulacra illa bellica, in theatris publicis instituta, quibus Nobilitas Germanica, non sine periculo virtutem exercuit, & strenuitatem ostentavit, quibusdam laudantur, celebritatem suam à suis Autoribus habentia: quemadmodum illi, qui in theatralibus istis Spectaculis fortiter se gesserunt, & victoriam in certamine reportarunt, immortalē laudem & gloriam sibi acquisiverunt, teste historia. Pontifex ipse Johannes XXII in extravag. r. 9. non improbat ea, pœnam remittens Ecclesiasticam.

§. III. Artamen non possumus probare, illa certamina ludicra, in quibus hominis vita periclitatur, qualia sunt Torneamenta & alia certamina gladiatorum hastatorum & similium, quale à banionibus in foro Cniphosiano non adeo diu concurrente hominum multitudine exhibebatur. Nam ex quò ludo periculum vitæ timendum est. & mors hominum provenit, illud Christianum hominem non decet. Gentilibus quidem Romanis gladiatorum certamen valde gratum & celebre fuit, adeò ut *Commodus* Imperator potius inter gladiatores versari, quam in curia maluerit. Sed plerisque Christianis Imperatoribus cruenta illa Spectacula displicuerunt, uti videmus in *tit. Cod. de gladiator.* ubi Constantini lex inserta est. *In ocio civili & pace domestica cruenta spectacula non placent.* Nihil enim illa certamina aliud sunt, quam cruentæ monomachia seu duella, ad quæ spectanda hominum multitudo concurrit. Rectè igitur in jure prohibentur illa ludicra certamina, tanquam vitæ & animabus damnosa, & illis, qui vita h. m. privantur, honesta sepultura interdicitur, in *Decret. Gregor. lib. 5. c. 13.* ubi Alexander III ait: *Felicis memoria Innocentii & Eugenii prædecessorum nostrum vestigiis inbarentes, detestabiles illas nundinas vel ferias quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicito convenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audacia, temere congregari, unde mortes hominum, & animarum pericula sepe proveniunt fieri prohibemus.*